

Dietrich
Admonitio
reorum.

1792.



09/13

A

2

09/3.

DE

ADMONITIONE REORVM RITE INSTITVENDA

DISSESTIT

I. F. DIETRICH

SEREN. ELECT. SAX. A CONS. COMMISS.
NEC NON PRAEF. HAYN. ET MAVRIT.

Hg 1243



DRESDAE

TYPIS HENR. GUIL. HARPETERI.

20.2.06

96

SCHOLASTICÆ LIBRARIA
BIBLIOTHECA HISTORICA

DURKING

HISTORICÆ LIBRÆ

ACADEMIAE DURKINGIANÆ LIBRARIA
CENSUS ET STATUS ANNO MDCCCLXVII

FR

CE

LIBRARIA HISTORICA
CENSUS ET STATUS ANNO MDCCCLXVII

VIRO

ILLVSTRISSIMO ET GENEROSISSIMO

FRIDERICO ADOLPHO A BVRGSDORF

SVMMI IN ELECTORATV SAXONIAE REGIMINIS

C A N C E L L A R I O

INCLVTISSIMO

CETERISQVE HONORVM DIGNITATVMQVE TITVLIS

NON MINVS SPECTABILI

QVAM

FAMA MERITISQVE INSIGNI

BOTSOVA

A 2

VIR ILLVSTRISSIME ATQVE GENEROSISSIME!

Cum, quam VIRIS illustribus et in excelsiori quodam dignitatis honorumque fastigio constitutis debemus, *reverentia*, id sibi habere soleat, ut tum, quando coram *Illi*s versari nobis contingit, eadem ipsa nos impedit, quo minus cultum nostrum et pietatem ita, ut par est, testificemur, ipsis verecundiae legibus iubentibus, ut religioso potius silentio, quam pluribus conquisitisque dicendi formulis vtamur: sane, VIR SVMME et ILLVSTRISSIME! minus temere me actu- rum, existimabis, si, quod coram haud satis opportune decenterque suscipere conarer, meam TIBI observantiam gratissimique animi studium hisce pagellis (epistola enim, iudice Cicerone, haud erubescit) publice demonstrare ausim. Scio quidem et probe intelligo, neque, nisi valde temerarius sim, aliter possum, scriptiunculam istam, quam illustrissimo et celebratissimo NOMINI TVO sacram volui, nimium levidensem, exilem iudicioque TVO longe inferiorem esse; sed scio etiam, et quis nescit? TVAM in litterarum et in primis jurisprudentiae cultores indulgentiam et humanitatem esse eiusmodi, ut non tam verba, quam animum species, adeoque vel minimis levissimisque conatibus ignoscere,

A 3

quam

AS HELVETIENSIS
IMPRESORIAE
quam acerbiori castigatoriaque indignatione a meliora et maiora tentandi consilio absterre quemquam malis. Quare, quicquid huius meditacionulae est, at quantulumcunque est! id, rogo obtestorque, eadem mansuetudine et benevolentia accipias, quae tot iam TVI cultoribus non minori fuit solatio et gaudio, quam singularia TVA in publicas privatasque res merita universae existunt patriae et commodo et ornamento.

ILLVSTRISSIMO TVO NOMINI

Haynae, mense Januarii

A. P. C. N.

CICIOCCCLXXXII.

addictissimus

Joannes Fridericus Dietrich.

Barba-

Barbarus sit, oportet, et periniquus profecto rerum aestimator, qui optimi PRINCIPIS nostri, cuius vel solo auditio nomine, singularis quaedam veneratio et exterorum et nostrorum animos subit, sapientissima et prudentissima consilia in regundis terris populisque, quibus sceptro suo parere, divinitus datum est, sine summo admirationis sensu possit intueri. Quae quidem egregie excellenterque imperandi virtus, nisi in tam illustri conspicuoque monumento posita, omnibusque adeo et singulis tam cognita et perspecta esset, ut neque demonstratione, neque exemplis egeret, e multis et innumerabilibus, quae adduci possent, sola in medium proferenda foret *res iudicaria*, in qua emendanda et perficienda tantum sane AVGV-STVS noster collocavit opera, quantum sapientiae; tantum SIBI conciliavit gloriae ac ornamenti, quanto maiora et vberiora inde in omnem rempublicam redundare commoda solent. Sive enim spectemus iurisprudentiam, quam aiunt, civilem, sive eam, quae in eruendis puniendis delictis versatur, omnes, quas in vtriusque usum et incrementum ferendas decrevit, leges, sanctiones et instituta sunt eiusmodi, ut summa vbiique de patria bene promerendi cura, summa prudentia, summa denique et exquisitissima iurium vel divinorum, vel humanorum cognitio elucescat. Quantum eriam, quamque venerabile, quounque oculos convertimus, rigidioris iustitiae mansuetissimaeque gratiae et aequitatis animadvertisimus temperamentum! Quam solidam et plane profundam studiorum affectuumque, quibus agitantur mortales, scientiam! Quam laudabilem praeterea circumspectionem et sollicitudinem, ne aut indulgentia nimia effrenatae malorum licentiae incresentique audaciae porta quasi aperiat, aut poenae aliquando iusto duriores infligantur, aut forte innocens quisquam ex malevolentia aut imperitia iudicium temere condemnetur. Sed quemadmodum omnium, vel optimarum et saluberrimarum legum ea fere est fortuna, ut a nonnullis, ne dicam plerisque, vel male intelligantur, vel certe minus accurate ad usum transferantur;

ita, nisi me fallunt omnia, eandem sortem *Lex*^{*)} illa praestantissima, modum in causis criminalibus procedendi praecipiens, in primis quoad *Admonitionem*, sapientissime in illa praescriptam et naviter inculcatam, videtur mihi esse experta. Facturus igitur operae pretium sim, si de *Admonitione Reorum rite et ad mentem summi Legislatoris instituenda*, quaedam differam? diiudicent alii; neque tantum mihi quidem sumo, ut alios erudire velim: id potius vnice acturus, ut, dum cogitationes meas Tecum, benevole Lector, communicem, ipse eruditior discedam.

Admonitionis, quae iis, qui delicti alicuius vel rei, vel certe suspecti sunt, a iudice fieri et solet et debet, cum omnis eo redeat ratio et finis, ut veritas eruatur, summe necessarium est, ut de modo, quo ad finem illum quam expeditissime perveniendum sit, iudex sollicitius cogitet, neque committat, ut imprudentia aliqua et levitate, aut alio quocunque vitio sibi suoque officio ipse desit. Saepe etenim fieri solet, ut maleficus, qui vel solo aspectu iudicis iudicive perterritus et facro quodam horrore percussus, in eo iam erat, ut fateretur, oppido mentem mutet et pertinacissime negare omnia et pernegare, secum constituat, simulac iudex, aut qui eius in vicibus examen instituit, frigido quodam, lento et languidiusculo sermone novos quasi ipsi animos suggerit, turpiterque prodit, plus sese in nomine, quam in ore auctoritatis habuisse, reumque magis sanctitatem muneris et loci, quam personae extimuisse. Eiusmodi, si quid video, admonitio, tantum abest, ut ad verum in lucem protrahendum quicquam afferat, ut potius veritati ipsi quam maxime detrahatur. Colligit reus, dum iudex, nescio quid? haesitando protrudit, vires; componit, quia tempus datur et occasio, os et vultum ad dissimulandum; non veretur amplius iudicem, sed contemnit, iamque ex eius imbecillitate, inertia et languore rei pessimae feliciorem sibi auguratur eventum. Neque minus tamen peccant examinatores, qui in eum,

qui

^{*)} Anderweites Generale, wegen des Verfahrens in Untersuchungs-Sachen, d. d. 30sten April
1783.

qui delicti alicuius insimulatur, sine vlla criminis indiciorumve habita ratione aut delectu, statim acerius invehuntur, minisque perhorrescens et fulminanti, vt ita dicam, voce misellum attonitumque homuncionem increpat. Magnum tum opus exegisse, magnum veritati salutique publicae comodum conciliaffe sibi videntur, cum torrentem velut verborum, minarum, exclamacionum, imprecationum, omne denique acerbatis suae virus truci rugosoque vultu evomuerunt. Eam demum admonitionem, aiunt, esse *seriam* (grave) ac *permoventem*; aut hoc aut nullo modo verbis: *) *ernstlich* und *beweglich*, satisfieri posse, contendunt. At, quantopere fallantur, vident prudentiores. Sive enim eiusmodi increpationibus et terriculamentis examinandum, si natura mollior ac timidior est, at fatendum quod non commisit, adducunt, **) et tormentis quasi quibusdam trahunt; sive, cum forte, vt perfaepe

*) vid. leg. cit. §. 4.

**) Vel tum quoque, si omnes absint minae et increpationes, moliores animos et inprimis erroneo aliquo et fanatico religionis sensu imbutos, interdum ultra verum effari, delitorumque, quae alias ne somniando quidem cogitaverint, se se reos prodire, in femina aliqua, virum extra matrimonium passa, memorabile vidi exemplum, cuius, vt cavere sibi nimium creduli possint, capitim breviterque mentionem faciam. Erat haec muliercula occultati partus, primo etiam infanticidii suspecta. Gravidam fere exsilitisse ac perisse, ex Physici relatione apparebat. Incertum contra: partusne fuerit vitalis, nec ne? immaturum, adeoque vita carentem fuisse, verisimilius certe videbatur. Examen, quod aiunt, summarium instituitur. Obmutescit, deficit, somno occupatur altissimo. Medicis redditur. Restauro examen post aliquot dies, recuperatis paullum aegrotantis viribus; invenio in lecto residentem, quietam, imo hilarem, mentisque, vt videbatur omnibus, plane compotem. Admonendi argumenta peto a religionis praeceptis, quibus eam admirabundus, vixote inter rusticos educatam, egregie et ultra omnem expeditationem instructam, animadvertebam. Respondet ad omnia diserte et candide. Post autem erumpere illa in fletum, lacrimarumque torrentem effundere; mox etiam, composito vultu animoque, ad fatendum omenia et singula se accingere. Quid multa? cum patre et fratre nefariam Venerem, ait, se exercuisse, patrem praeterea, vt facinus celaretur, herbas medicas sibi porrexisse, fratrem contra iusculo e baccis (si recte memini) sambuci

faepe solet, cum homine astuto versutoque res est, eum reddunt in negando eo obstinatiorem, quo certius ille novit, iudicis non esse, ferrum flamasque minitari, sed *admonere et persuadere*, neque reum statim posse suppicio dari, sed, quae legum nostrarum est aequitas, prius examinari oportere, examinatumque, conquisitis vndique non tantum inculpandi, sed etiam *exculpandi* argumentis, defendendum committi, et defensum denique iterum iterumque, altiorum tribunalium sententiae, imo ipsius *Principis* arbitrio et gratiae relinqu. Sunt etiam, iisque non plus fereendi, qui ad vanas confugiant poilicitationes, mellitosque velut verborum globulos iacent, vt confessionem a reo qualemcunque eliciant, verane illa sit, nec ne? parum solliciti. At, quis tandem admonendi modus menti Legislatoris accommodatissimus est? Qui quam maxime fini, cur admoneamus, respondet. Quibus ergo iudici vtendum est verbis? quibus movendi rationibus? quibus auxiliis? In his omnibus, fateor, sentire, quid rectum et profuturum sit, quam describere et praecipere, facilius est. Genus delicti, cuius aliquis vel reus vel suspectus est, tempus, locus, quo commissum est, delinquentis ipsius persona, mores, educatio, religio, vita ante acta, status, aetas, variae causae accedentes, maiora minorave indicia, a iudice veri cognoscendi cupido quam diligentissime expendenda sunt, quippe horum vnum alterumve, admonitionis modum, (quatenus per verba: ernstlich und beweglich, arbitrio

coeto, plumbum admiscuisse sibique pro veneno suppeditasse. Coniici iubeo vtrumque in carcerem; sed statim, re accurati explorata, ex sententia Scabin. Lipf. absolvuntur; ipsam vero, quam fanae rationis vsu inter examen, ab initio certe, praeditam iurasses, mentis plane inopem et delirantem fuisse, postero ab examine die, e Medicorum testimoniis extra omnem dubitationis aleam ponebatur. Restituta denique et corpore et animo, nec nisi stupri simplicis, quod, ob imbecillitatem vteri abortus involuntarius subsecutus erat, convicta, identidem affirmabat, se ad exemplum M. Magdalena nullam re Deo cariorem fieri posse, credidisse, quam si maximam fese peccatricem esse, profiteretur; nescire se praeterea, cur simul parenti fratrique tam horrenda facinora affinxerit, nisi forte fecisset, vt se ipsa eo flagitiosiorem simularer.

bitrio examinatoris relictus est) et externam velut formiam magnopere mutare possit, quae, dici vix potest, quantum ad omnem futuram inquisitionem valeat, si ad prudentiae leges attemperata, caute solerterque adhibeatur. Significat hoc sapientissimus Legislator, cum: Wenn der Thäter, inquit, oder eine der That verbächtige Person ausfindig gemacht und nach Besinden zur gesänglichen Haft gebracht worden, ist der Inculpat ungesäumt summarisch zu vernehmen, und unter andern auch zuförderst, wegen seines Lebenswandels, Aufenthalts und getriebenen Bewerbes und Nahung ic. umständlich zu befragen, sodann zu einem aufrichtigen Geständniß ernstlich und beweglich ic. anzuermahnen. Hac enim notitia, tanquam fundamenti loco substrata, subsequens admonitio conniti debet. Quare temere agunt, qui statim ac reus in iudicium admissus est, recitandis mandati verbis, vt fieri fere apud plerosque solet, admonitione vtuntur. Praecedant, oportet, quae lex ipsa praemitti, diserte iubet. Insuper modo parciorum, modo effusiores in admonendo esse, iudicem decet, prout res et circumstantiae (vt hac vocula vtar) postulant. Nunc mitiori, humaniorque allocutione, nunc severiori vtaris, velim; neque semper quaslibet minas durioresque increpationes abesse, fas est. Ne multa! omnis admonitio non semper eadem sit, sed ad rem et personam accommodata. Sic, vt hoc addam, persaepe opus est, vt iudex, ne quid inconsultius committat, filum orationis repente abrumpat, simul animadverterit, se animum rei perculisse, aut eum mentem iam in lingua habere, aut etiam, durante exhortatione, quae haud perperam alternis et quasi familiaribus interrogandi et respondendi vicibus distingui potest, voce aut gestu aliquo, se fecisse, prodere. *) Quid enim pluribus vtare mediis, vbi finem iam consecutus sis? Quid persuadendum putes, vbi iam confessum convictumque videas? Quemad-

*) Inter confessum dubie dubique negantem
Haerebis, pavidas dante timore notas.

modum enim orator, *) qui nimium argumentatur, nimium demonstrat in re, vbi demonstratione non opus est, auditorum animos magis abs se abalienat, quam conciliat, inutilibusque et intempestive coacervatis persuadendi rationibus dissidentiam aliquam causae prodit, dubitationesque adeo, quas antea nemo habuit, excitat; ita iudex, qui reum, confitendi iam paratum, vt confiteatur, adgit et vrget, ansam negandi ipsi suppeditat spemque suggerit, fore, vt negando causam sibi faciliorem reddat, dum iudex, *nimum sua interesse*, significat, vt confiteatur, nimium vereri videtur, ne inficietur. Sollicitissime enim, et plus, quam opineris, cavendum est, ne delicti reus in iudice imprudentiam aliquam, imperitiam aut timiditatem deprehendat; videat ille potius et quam diligentissime circumspiciat, qua parte, vt ita dicam, maleficus facilime et tutissime adorendus, vincendus convincendusque sit. **) Quod autem, cum non semper primo statim examine impetrari possit, sequitur,

*) Non aliena hic sunt, quae LONGINVS *magi usq; Sect. III.* hanc fere in rem dixit, et IAC. TOLLIVS ita latine convertit: Huic vicinum est tertium vitii genus, quod in inepta affectuum concitatione versatur, et a Theodoro Parenthys nomen accepit. Cum scilicet vel tragediae aguntur in nugis, ac in rebus parvis illae dicendi faces adhibentur, quibus auditor incendi solet atque inflammari, vel cum, vbi mediocribus opus est, modus omnis exceditur. Quod plerumque fieri solet, cum veluti dulci declamatoriae levitatis musto ebrius non tam propriis, ac *negotio convenientibus*, quam ineptis sui ipsius affectibus incitatus, orator abripitur. Vnde accedit, vt pro confernatione ac stupore, cachinnos irridentium commoveat: quippe qui furere apud sanos, et quasi inter sobrios bacchari videatur.

**) FRID. GVL. WANGERMANN in libello: *Unweisung zum Inquiriren*, 1772. multa eaque haud contempnenda hanc in rem attulit. Inter alia in ipsa praefatione his verbis vitatur: „Muß aber jederzeit die Vorsicht gebraucht werden, daß der Inquisit nicht des Inquirenten Geheimnisse (Vorteile, Plan) selbst entdecke, sondern der letztere dem ersten als Lezeit zuvorkomme. Denn dergestalt wird der Inquisit zum Bekennniß nur successiv präparirt, sonst aber zum voraus darzu verdorben, und alsdenn kommt die rechte Zeit, worin es eigentlich gefordert werden könnte und sollte, niemals wieder.“

ut repetenda et instauranda sit admonitio, ubi, quando et quoties conveniat. Attendat igitur iudex, durante quovis examinationis actu, ad respondentis vocem, verba, gestus, vultum, oculos, sed ita attendat, ut tanquam aliud agere videatur; petat inde novam persuadendi admonendique occasionem; ponat ipsi ante oculos animaque indicia, confessionem correorum, enunciata testium et sic porro; ostendat et luculenter demonstret, nihil plane sibi profuturum esse, si diutius in negando perseveraverit, cum iam tot tantisque documentis sese convictum esse, non possit non intelligere.

Devenio iam ad duas quaestiunculas, non omnino negligendas. Primo: an admonitio vel tum instituenda sit, cum reus sive vltro ad iudicem sese confert et delictum fatetur, sive ἐπ' αὐτοφώρῳ deprehensus est? Deinde: an praeter verba, in lege supra laudata diserte praescripta, Actuarius singula, quibus iudex vtitur, admonendi argumenta calamo excipere, et quasi κατα πόδα ad acta consignare debeat? Superiorem ad quaestionem quod attinet, re leviter et perfunctorie considerata, actum agere sibi videri possit iudex, si admonuerit iamiam confessum aut in ipso patrando patratove facinore arreptum; at si paullo diligentius ad cogitandum se deridet, longe aliter sentiet, exhortationemque solennem non modo non omittendam, verum etiam eo curiosius adhibendam esse, intelliget, partim et praecipue, quia lex, nulla adiecta exceptione, admoneri reum iubet; partim, quia sunt, qui vel ex taedio vitae, vel, ut ante monui, animi quadam perversitate et melancholia, commisisse se aliquod facinus, falso simulent; partim etiam, quod frequenter accidere potest et solet, ut maleficus vnum alterumve delictum confiteatur, alia autem eaque atrociora reticeat. Parum enim aut nihil facit sola confessio, eaque non tam ipsa est quaerenda, quam veritas potius exquirienda. Neque satis est, nosse iudicem, crimen aliquod ab aliquo perpetratum esse, sed sciat quoque, oportet, quo modo, quibus adductus rationibus, quibus sub circumstantiis reus deliquerit? Solusne fecerit, an

plures habuerit socios conscientes, proprie atque, an aliorum consilio et impulsa
 scelere, cuius se reum confitetur, se obstrinxerit? Quae omnia cum in processu,
 quem vulgo dicunt, criminali solertissime exploranda sint, illud autem explorandi
 studium mirum in modum admonitione recte convenienterque substructa adiuvetur,
 quis tandem est tam vecors, quin vel ipsa tacente lege, eam, quam operosissime in-
 flituendam esse, opinetur? Enimvero haec est, quae non tantum, ut forte quibus-
 dam videtur, ad reum confessurum condemnandum viam munire debet, sed quae
 etiam eo vel in primis consilio introducta est, ut ne ex incuria quadam aut errore
 vel iudicis, vel ipsius rei quicquam negligatur et reticeatur, quod, si non ad absolu-
 vendum reum, certe ad mitigandam poenam pertinere quodammodo possit. O fa-
 pientem igitur legislatorem, qui non solum admonitionem illam tam directis verbis
 praescriperit, sed *) de incommodis quoque, quae, si fructu suo caret, reum sequun-
 tur, singulis, eum commonefieri voluerit! Quantum adeo, heu! delinquenti iudices,
 qui hac in re officio suo haud rite defunguntur, et, dum negligentia sua vel male
 consulunt reipublicae, vel miserum reum diuturnis perpetuisve careeris squaloribus
 graviorique suppicio dedunt, sibi suaeque conscientiae et famae maculam inurunt!
 Sed ne longior sim, quam par est, ad alteram quaestioneiam iam me convertam. Le-
 gimus in §. 5. Legis citatae: Auch soll, auf was Maasse dieses und die in vorstehenden
 4ten §pho vorgeschriebne Admonition geschehen, nicht bloß Beziehungsweise, und ver-
 gestalt, daß Inculpat nach Vorschrift des 4ten und 5ten §phi des Generalis anermahnet
 werden, sondern umständlich und so, wie selbige dem wörtlichen Inhalt (ernstlich
 und beweglich) gemäß, wirklich erfolget, ad acta registriret werden. Aut nihil video,
 aut verba: umständlich und so, wie selbige dem wörtlichen Inhalt (huc pertinent
 etiam voces: ernstlich und beweglich) des Generalis gemäß, luculent erque cer-
 tius,

*) vid. Leg. et §. citat.

tius, quo magis Lex ipsa ab illa*) priori hac in re aliquam mutationem subiit, vel potius declaratoriam experta est, significant, non plane sufficere, si mera verba *Generalis registraturae* inserantur. Secundum enim argumentum legis fieri debet admonitio **ernstlich und beweglich**. Quod quidem qua ratione et modo factum sit, ad Acta consignandum est. *Quisquis enim iudex nihil agit, quam ut ipsa et sola verba legis declamat et puerorum more recitet, parum agit, propterea quod verbis: graviter et permouenter, haud satisfacit.* Ut itaque appareat, iudicem muneri suo rite praefuisse, maxime consentaneum est, ut et ratio modusque, in *graviter permouenterque* admonendo ab ipso adhibitus, ad acta perferatur, quamquam non affirmaverim, ex huius rei omissione nullitatein, quam dicunt, aliquam suboriri, modo de iis admonendi argumentis, quae lex diserte iubet, nihil temere praetermittatur, et admonitionem, *serio et permouenter vere factam esse*, adiectis his ipsis verbis, ex Registratura conslet. Concedo etiam et facile largior, Actuarium, vel exercitatissimum et calamo excipiendi promptissimum, non omnia et singula, quibus iudex saepe copiosius vtitur, verba chartis mandare posse; neque deceret id quidem, quatenus Actorum moles hoc conamine nimium incresceret. Id solum contendeo, Actuarii esse, ut primaria et praecipua admonitionis factae argumenta breviter summatimque excipiat, et ea tantummodo verba, a quibus decidere Lex negat, iisdem terminis et formulis, quibus pronuntiata sunt, et pronuntiari debuerunt, diligenter litteris reddat.

Subiungam, quia, dum tot vbiique conscribitoribus occurras, flulta est clementia,

— — periturae parcere chartae,

quasi corollarii loco, aliam adhuc observationculam, quae, si operosiori ex-
cussione minus digna habenda sit, eiusmodi tamen, est ut inter subtiliores
certe argutias referenda esse videatur. Sunt nimirum, qui quoad admonitionem
sec. §. 5. Mand. cit. in causis furti simplicis instituendam, satis acute ingenio-
fusque affirmant, verba exhortatoria: „dass ihm (Inculpaten) daserne er beym
Läugnen beharren würde ic. non statim cum illa (§. 4.) admonitione generali simul, sed
tum demum adhibenda esse, si reus furtum, cuius suspectus sit, iterum iterumque ne-
gaverit, quippe vox: beharren luculenter significet, necessario negationem praecedere

debere,

*) Generale wegen des Verfahrens in Untersuchungs-Sachen, d. d. 27 Octobr. 1770.

debere, prius quam quis a *perseverantia*, vt ita dicam, *negandi* dehortando avocari possit. Sed, si dicendum quod sentio, haud perperam quidem acturum iudicem, existimaverim, si illud admonitionis additamentum paullulum differat, et, si fieri apte potest, eo vsque retineat, donec reus aut inficietur, aut conari id certe videatur, vt pote *tum* eo efficacius movens haec admonendi ratio adhiberi queat. At, cum istam subtilitatem nullibi fere observari solere, meminerim, porro etiam, e causis supra deductis, lege ipsa non distinguente, nullo modo, seu considente, seu inficiante reo, illam exhortandi speciem plane omitti, concessum sit; cuiusvis iudicis arbitrio et prudentialiae, opinor, relinquendum est, quo tempore locove ea possit quam opportu-
nissime et efficacissime usurpari. Quod reliquum est, nemo, nisi legum imperitissimus, nescit, in admonendo furti reo et adhibenda formula de mitiganda poena ob
restitutionem aut remissionem cautius dispiciendum esse, furtumne sit vere simplex,
an qualificatum, aut etiam de crimine de residuis agatur? Furi enim violento *) nec
rei ablatae restitutio, nec eius, qui furtum passus est, remissio (quamquam huius po-
sterioris quidem vel in fure simplici aut receptatore admonendo, nisi forte arctiori
propinquitatibus vinculo intercedente, nulla mentio facienda est) prodesse quisquam,
aut **) criminis de residuis reo ullam mitigandae poenae spem potest asserre; quare in-
ter illicitas veritatis extorquendae artes iure meritoque referendum foret, si iudex
eiusmodi velut viscatis hamatisque pollicitationibus reo confessionem aliquam elicere,
inconsultius et illegitime conaretur. ***)

Haec fere sunt, quae de admonitione reorum a iudicibus recte prudenterque
influentia paullo latius disputanda putaverim, quibusque nihil addam, nisi, me ea
non viris usu et experientia subactis, sed tironibus, ad formam criminale demum
adspirantibus scripsisse, vt inde commodi forte aliquid et cauteriarum capere sibi pos-
sint, ipsum me vero, si cogitatiunculae istae prudentioribus haud plane displicerint,
michi meaeque opellae magnopere esse gratulaturum.

*) Art. 159. C. C. et Mand. Saxon. d. d. 27 Julii 1719.

**) Mand. Saxon. d. d. 17 Decbr. 1767.


***) Expressa et luculenta exstant haud in rem pracepta Sect. 2. §. 5. Generalis supra iden-
titem laudati.

ULB Halle
005 127 300



3





D E

ADMONITIONE REORVM RITE INSTITVENDA

DISSE RIT

I. F. DIETRICH

SEREN. ELECT. SAX. A CONS. COMMISS.
NEC NON PRAEF. HAYN. ET MAVRIT.

D R E S D A E

TYPIS HENR. GVIL. HARPETERI.

20.2.06.

B.I.G.

